



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. Sunt ne singuli Ordines Sacramentum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

transiens & Sacramentum, definiturque, Sacramentum novæ legis, quo stabiliter conferitur potestas ad consecrandum Eucharistiam, & ad alia Ecclesiastica Ministeria, ad eam aliquo modo spectantia, ritè obeunda.

Q. 1. *Quot sunt Ordines?*

Resp. Septem, scilicet Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. ex Florent. & Trid. sess. 23. c. 2. Tres priores dicuntur majores, & sacri, tum ob votum solemne castitatis annexum, tum quia propiùs pertinent ad Eucharistiam. Primus Ordo seu Sacerdotium subdividitur in duos Ordines tanquam in duas species, nempe in Sacerdotium majus seu Episcopatum, & Sacerdotium minus seu Presbyteratum.

Prima Tonsura non est strictè Ordo, sed prima dispositio ad Ordines: nam per eam non traditur potestas ad ullum Ministerium pertinens ad Missæ Sacrificium; sed solùm confertur aliqua dignitas, qua homo constituitur in statu Clericali, fitque capax recipienti Beneficia Ecclesiastica, & Ordines. Unde cum c. 11. de *etate presic.* dicitur per eam conferri Ordinem Clericalem, Ordo ibi sumitur latè pro statu Clericali, seu nota per quam quis ex statu Laicorum evehitur ad statum Clericalem.

Q. 2. *Sunt ne singuli Ordines Sacramentum?*

Resp. Est de fide quòd Ordo generatim sum-

sumptus, sive Ordinatio aliqua sit verè & propriè Sacramentum, ex Trid. sess. 23. can. 3. Secundùm omnes Catholicos Presbyteratus est verum Sacramentum. Idem nunc sentiunt multi de Episcopatu ut distincto à Presbyteratu. Certum est etiam Diaconatum esse Sacramentum. Idem multi paucis exceptis docent de Subdiaconatu. Sed non pauci id negant de Minoribus.

Q. 3. Quenam est materia & forma Ordinum?

Resp. Certum est illorum formam esse verba prolata ab Episcopo illorum Ministro, dum materiam essentialem applicat. Sed Theologi dissentiunt circa essentialiam materia Presbyteratus, & Diaconatus. In praxi diligenter observanda sunt ea omnia, quæ in Pontificali Romano præscribuntur: tum quia id tutius est ad valorem: tum quia ritus integer necessarius est saltem ex præcepto. Hinc si quid fortè omissum fuerit, illud cautè supplendum est, ex c. 1. & ult. de Sacram. non iterandis.

Q. 4. An ad validam Ordinationem requiritur contactus physicus instrumentorum?

Resp. Quamvis multi putent sufficere contactum moralem Patenæ, quo quis Calicem tangens censetur & Patenam superpositam tangere; tamen quia hoc non est omnino certum, in praxi curandum est, ut semper immediatè ac physicè tangantur & Calix, & Patena cum Hostia. Idem dic de aliis: nam circa Sa-